



ORATOR  
SILENTIARIUS

DIVUS

JOANNES  
NEPOMUCENUS

Eloquiô Chrysoſtomus,

Sacramentali Sigillô

Confessor Tacitus

Utroque

THAUMATURGUS

Incltyti Bohemiæ Regni Apoſtolus,

In ſibi ſub Fideliffimo Genitricis Virginis

MARIÆ

Patrocinio dedicato Sacratio, inter Anniverſaria Solemnia

humili Panegyricô

ab

Oratore Silentario veneratus,

P. THADÆO FRANCISCO SCHWAIGER,

Sacri, Can didiffimi, & Exempti Ordinis Præmonſtratenſis, Regiæ Eccleſiæ B. V.

MARIÆ Montis Sion Canonico Regulari, Juridicæ Facultatis Auditore.

Annô Domini 1719. die 21. Maij.

Typis Barbaræ Franciſcæ Beringerin, per Joannem Georgium Behr.

HONORI

Et

VENERATIONI  
REVERENDISSIMI, PERILLUSTRIS

AC,

AMPLISSIMI  
DOMINI DOMINI,  
MARIANI  
ANTONIJ  
HERMANN,

Sacri Canonici & Exempti Ordinis Præmon-  
stratensis Prælati, Regiæ Ecclesiæ B. V. MARIE Montis  
Sion, & Milovicensis Abbatis, Visitatoris Perpetui, ejusdem-  
que Sacri Ordinis per Bohemiam, Austriam, Moraviam, & Silesiam  
Vicarij Generalis, Sacræ, Cæsareæ, Regiæ, Catholicæque Majestatis Consi-  
liarij, Patris ac Patroni

Observandissimi.

REVERENDISSIME  
PERILLUSTRIS

AC

AMPLISSIME

Domine, Domine, Pater, ac Patrone  
Observandissime.

**M** Agnus Cæchiæ Apostolus Divus JOANNES  
Nepomucenus, è Pythagora in Tullium trans-  
formatus, Silentio vocalis, facundia Silentia-  
rius ad Montem Sion convolat Reverendissime Domine  
Domine Pater, ac Patrone Observandissime; deturbatus  
è ponte Prageno Martyr incruentus, pro soporæ jam redivi-  
vus am bonam Eloquentiæ taciturnæ in Sion nactus, ubi  
laudis vice silentium, & vox ac silentium à sacris interpre-  
tibus unò schemate efferuntur. Marianum petit, &  
bene habet; qui antequam è sacro balneo Marinus, nondum  
JOANNES, emergeret, suscepto ad Deiparam paren-  
tum voto, Marianus inaudit. O! Nomen cum violis, ro-  
sisque natum! Antonius est, dum perditæ vel periclitanti  
famæ

A 2

\* Martialis Lib. 11. Epig.



famæ patrociniatur: Agnomen tuum, nostrum Hiermannum incarnatum illum Angelum morum Candore, illibatâ vitæ innocentia, postquam in erecto sub fidelissimæ Dei paræ sodalitia Virginum Virginem Mariam desponsavit, expressit. Itaque te tibi defero Reverendissime, Perillustris ac Amplissime Domine Pater ac Patrone Observandissime. Qui ut vel tu Joannis, vel ille tuus esset, sacrum fædus pepigisti. Patere, ut sub Nominis tui bene augurato trifragio Harpocrates personet in Exedris, qui tanti mensuram Nominis implet. \* Cujus ipse laudem Clientum Seraphim flagrantissimò Zelò provebis, augésque prodigia sancto, me silentiarium tanto Ecclesiasti Oratorem destinando. Et Patière quidem citrà dubium, ut famæ incrementa tuo quoque à Nomine sumat Communis famæ Protector: grates referet gratus, famam meritis coruscant cedro implantabit. Porro quâ devotione gratiarum universitatem Joannem excipis, eâ benevolentia meum confove silentium, qui perennes esse.

REVERENDISSIMI PERILLUSTRIS AC  
AMPLISSIMI DOMINI DOMINI, PATRIS,  
AC PATRONI OBSERVANDISSIMI

Filiorum Infimus  
P. Thadeus Schwaiger  
Canon, Sion.

\* Ovidius.



## ORATIO.



In primæva repuerascentis anni ætate; quando hiemali postliminio ænea tellus scissò vomere universalem orbi recludit uterum, quando de tristiore lugentis terræ tumulo minima inter florum germina Majorennis reassurgit viola, quando pastores in bonæ fidei tranquillo & otioso silentio sylvestrem musam, rudi calamò & tenui meditantur avenâ, fontiùmque susurri, & ventorum sibili, & saxis allisa murmura, & avium reciproci cantus; redituræque montibus echo in gratam amulationem sollicitant animos, suâmque ipsi alternò aurium pastu gregis sollicitudinem consolantur; Si inquam loquente Cybeles utero, pratorum coronamentis, hortorum pompis, veræ ubertatis rudimentis, dum incerta frugum præsagia candicant in lilia, purpurant in rosas, in hac, JOANNÆIS laudibus congregata hortorum florentia canitiem temporum, depilatum telluris senium hyemem meditarer; haud reor eorum me accensendum sylabo, qui pro JOANNÆIS gratijs florido hoc in loco floridi & gratiosi peroravère oratores. Quid enim florentissimis eloquentiæ campis perpetuò vere pictis cum decembrali brumæ

rigore lætissimæ frontis & frondis mæstissimo<sup>1</sup> depopulatore?  
 ambrosia Ambrosij, nardus Bernardi, lingua Chrysologi, os au-  
 reum Chrysoftomi NEPOMUCENIS ausibus has inter tellu-  
 ris encaniantis delicias dicat præconium, est necesse. Majoribus  
 fistulis assuetam Isocratis hecatomben, non meam efflagi-  
 tat balbutiem ad eloquentiæ natus decora; exigit floridum  
 stylum is, in quo vires suas arguta profudit elocutio,  
 in quo tot forent putpuræ, quot dicta, tot argutiarum  
 Veneres, quot periodi. Quodsi oratorum Antistite &  
 Antistitum oratore teste Ambrosiô re & nomine svavissimô,  
 elysia facunda illas amant ditiones, in quibus amant vernæ  
 temperies: Flores eloquentiæ JOANNEA à me isthæc tempe-  
 exposcunt; ubi telluris flagrantissima sidera, vel in sole mi-  
 cantia, odoratæ florum animæ deliciantur. Pudet pro Facun-  
 dissimo silentiario panegyricum dicturo silentiarium vel esse  
 vel nominari; nisi in amplissima prærogatarum maria solu-  
 ta oratoris è portu cymba procurrat. Atqui temerario ausu  
 Tullios exæquabo? molestâ rursus silentij lege recoctâ ad  
 antiquam lyram crambe vestros animos sopiturus AA:OO?  
 Sanè quot quot hucusque in laudum JOANNÆRUM gratijs  
 excolendis herculeis suadæ suæ lacertis altitonantes Pericles vel  
 eloquentes Hortensij desudavère, omnes unitô studiô, quos  
 præfens ambivit ambona Harpocrati, sacratori cælestium  
 arcanorum Secretario, muto pisci, vel elingui Piscatori instruxê-  
 re protrepticon. Si inquam ad muta Areopagitarum vestigia  
 præcones anteambulos firmo; Athenis loquacior, si minus,  
 Amyclis ipsis evadam silentior, rigidissimi Zenonis subscrip-  
 turus præcepto, cujus in Lycæo veluti officina statuaria, nisi  
 muti contemplabantur discipuli, quod linguæ nodos in ser-  
 monem resolvere vel nollet, vel non possent. Veneror gi-  
 gantum ausus nanus oratorum, quæis Joannæa silentia in uni-  
 versum orbem divulgavère elogiô. Non minore celebrabère  
 laude JOANNES Facundissime, si silente facundiâ silentiaris

verlink:  
 c: Silen-  
 m.

orator

orator, Oratori silentiario dicat panegyricon. Sua flexanimæ  
 arti sunt decora, quibus Laureato Martyri construat epinicion,  
 cujus verba non aliâ olim excipienda forent papyrô quàm  
 palmari, suffragiô Martialis:

*Sic fora mirentur, sic te Pallatia laudent,  
 Excolat & geminas plurima palma fores.*

Martialis L. 1  
 epig. 27.

Palmae sit elogium, quod flexanima ars longô periodo-  
 rum ambitu attollere gestiat? Obeliscos inspice, qui Tullio-  
 rum excrevère facundiæ. Testor Demetrium cui celebratissi-  
 mæ Athenæ trecentas & sexaginta statuas, & Proëresio Ro-  
 ma giganteum conflavit simulacrum, adjecta epigraphe:  
*Regina rerum Roma Proëresio Regi eloquentia.* Et inter disertissi-  
 morum Virorum præmia Thaumaturgus noster otietur Cze-  
 chix Apostolus? Feriantem à laude exegerit vitam? ut unô  
 solùm epilogali vitæ prædicandus sit robore silentiô? Siccine  
 ætatis innocentiam, morum probitatem, virtutum studia, va-  
 ledicturus orbi in extrema temporum conjecerit momenta,  
 unô tantùm taciturnitatis schemate sanctimonix clausurus  
 vastitatem? *nescit tarda molimina Spiritus Sancti in Charite gra-  
 tia.* Mehercule! injuriosus JOANNÆ existimationis accla-  
 mator audiam, si in sera vitæ crepuscula innocuæ virtutis me-  
 ridiem collocâssô. O! quoties tantô regia impietas ad frugem  
 revocata fulgore! Unum militantis Ecclesiæ fasti non tam  
 commemorant, quàm tacent Dismam, quod exhaustâ scele-  
 ratas ad fæces usque vitâ oculos mundo cum clauderet, æter-  
 nâ beatitati referret; plûs probrosô quàm rarô, mirandô  
 magis quàm imitandô clarus exemplô. Et gratiarum Gany-  
 medem, Narcissum Innocentiæ, Josephi sanctitatem inter  
 accusatos de scelere pessimo fratres, cum latrone prædicabos  
 absit! Phrygum opprobrium est serô sapere, non præmatu-

VeraniPam  
 klog:

S. Ambrosij  
 lib. 2. in Lu  
 Joannes in se  
 pret: gratia

Wisira, Scrm

ca

S: August!  
rm: 47. de  
mctis:

uc: 1. c:

ap: 18. 4.

albinus in-  
sita

rae virtutis vestigium. Sic in dubium venerationem JOANNIS evoco; quod à Sanctorum syllabo arcendum foret festum ferotini Confessoris: *Nè imitari pigeat, quod delectat celebrare.* Si ita criminor Panegyrico, angusta augustissimæ virtuti sunt incrementa grandia; de se vatum movit prælagia maximi natos inter mulierum vix dum nati elogio computandus: *Quis puer iste erit?* Ergo clamantis vocem, Tullium in Tacito, Os aureum in Silentario, omnia in uno JOANNE, tot prodigijs, quot vocibus, paradoxo silentio demirabor Orator silentiaris. Favete!

Facundum silentium in Apostolo silentario excellentiæ JOANNEÆ gnoma? Rhetorici apparatus spiritus? hic Rhodus hic saltus! solem accendat Cynicus, & jam meridiem palpo in Ægypto, taciturnæ eloquentiæ ingredior arcana. Quid enim fæderatâ hac anthitesi augustius? quàm eodem quò assurgit encomiò ad Ciceronem, hoc etiam divinò homagiò lunata genua inclinent Harpocrati. Ità cum Jove Cæsar imperium, ità in statuam chalybe martius, pennâ eruditus exurgit Colossus; eruditum epigraphen tacitum decantet marmor: *Ex utroque Cæsar.* Etiam divinissimæ illæ personæ, Filius & Spiritus utraque silentio facunda, dum in terras, mihi in argumentum veniunt; Spiritus in lingua tacita, Verbum infans; *Omnipotens sermo, cum silentium tenerent omnia.* Sed enim ad prima inopis fandi copię accedamus rudimenta. Ædepol! nisi me verior fallat historia, patrium solum, ut in bonæ spei promontorium viridis mons assurgat, tacitæ humilitati dixit Sacramentum, unâ verbi Echo, voce clamantis in deserto disertò tamen sonò celebrandum. Obmutescant Poëtarum commenta unâ cum Saturno aurea prodijisse sæcula; aureæ ætatis parentem aurifluum stupeant fasti, cui præmissâ Præfulis benedictione cælum defluò Danaës flumine prælusit,

Jam

Redeunt Saturnia Regna,

Jam nova progenies cælo demittitur alto.

Svilla C.  
mana.

Nova Verbi genethlia notet Theologus, quod ibi Patriarcharum anteambula vota, hic parentum lacrymæ ortum prævolarent. *Rorate cali desuper & nubes pluant justum.* Sub-Esaiæ 45. scribat, quod Neo-nato Domitiani filio collibus suppari pufioni nostro votum Poëta:

Nascere Dardanio promissum nomen Iulo,

Vera Deum soboles, nascere magne puer.

Martialis  
Lib. 6.

Prodigium! præmaturæ vitæ nascentis in limine NEPOMUCENUS, æmulus præcursoris, vestigijs insistit Theandricis, affleat Podivinus, verbi Echo, Primum nascentis Numinis miraculum, in digito omnipotentem dexteram adoro, caulam in aulam, præsepe in solium, stabulum in regium commigrasse augustale; Sanè potentiore verbò, quò ad infima descenderet Altissimus, quàm cum unieò verbò abyssale nihilum in orbis Amphitheatrum adornaret. *Dixit & facta sunt.* Debet prolocuto de ore Altissimi inter Judææ montes personanti Verbo obliterata Bethlehem suam proceritatem, *Minima:* gigantæò tamen Numinis metienda calle, cujus majestatem etiam regij inquirent splendores solari evocati jubare, nequaquam ampliùs minima! Tuam etiam, quâ hodie cunctorum vota incendis, debes gloriam, oppidum, ah! non jam oppidum, urbibus urbaniùs NEPOMUCUM, postquam illustri plausu JOANNI patriam, noménque non tam commodasti quàm potiùs accepisti. Nequaquam minima! collibus eminentior, populorum voce prædicata, cum Patriæ patrem, emortuæ famæ tuæ vocalem animam Czechico horizonti intulisti, parturisti.

Gen. 1.

• B

Huc

Huc age vates divinior! horoscopum fige ex prognostica  
vitæ nascentis aurora! insolitus sequitur post nebula Phæbus,  
Quæ sideris hujus epimithia? stillant votiva parentum lumi-  
na continuûm imbre mæstissimô, tristitiæ nubibus velatur  
animus: donec tandem factus felicioris lacrymis quasi sæcun-  
dati, genethlia celebret thori sterilitas; nempe etiam

Ovid. in  
Ep. Heroid.

### Lacrymæ pondera vocis habent.

Ecstasica natali prodigiô empyrei aula cunis aggratu-  
labunda divinat epinicia; Quid hæc epiphonia? quam inci-  
do in speciem? portentosa metamorphosi innovantur astra.  
Quôd angurium? phæbus siderum Antesignanus duplicatâ  
quadrigâ in honoris auctarium ignescit, quasi dum cunabula  
suas gyraunt cunas, sua quoque testarentur tripudia, videte au-  
gures & annunciate quæ ventura sunt in futurum: Enascitur  
JOANNES, & jam plenô lucis habitat in meridie. Vidit nas-  
centem humile Nepomucum, inde illud nactus dogma, quôd  
ibi ad argumenti humilitatem descendit sublimitas, ubi  
ad argumenti sublimitatem descendit humilitas. Parturit il-  
lum chiliarchium Czechiæ, inde in leone, de tribu Juda fa-  
cundissimo rugitui futurus assymbolus, ibi pusio JOANNES  
sinè genealogia, sinè Patre, de Matre, de Patre sinè Matre,  
nascitur. Quid conjecistis AA. OO.? Hominem supra vim  
Demosthenis: Copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. O!  
Thaumaturgam genesim! quis exinde senescentis indolis non  
legat. prælagia? quis non Tullium in Harpocrate, in Tullio  
non Harpocratem edicat? si virtutes sua quoque dicant hor-  
tamenta. Nondum lallamenta exuerat balbutium, & jam  
dedit ei Dominus linguam eruditam. Nondum ferè vitæ dilu-  
culabatur horoscopus, ubi jam superni amoris Syrius sub me-  
ridie incaluit, solis æmulus; à quo, ut minora sidera suam  
claritatem, ita cætera virtutum, agmina sua hauriunt

Fab: Lio

Isaie c. 50.

in-

incrementa. Nondum suas infantia reliquerat cunas, quati-  
do jam procera indolis virtus in plenissimam consenuit apo-  
theosim. Adeo etiam infantiles vagitus silentiarum loquun-  
tur facundiam. Thaumate multiplici sanctitatem vitæ cele-  
bravit; utero sterilitatem, generi ignobilitatem, patriæ præ-  
misit humilitatem. Scilicet ille ex nobis cui quàm minimis  
opus, DEO est similior. Inde ignotus nativitatis annus, cujus  
vitæ mensuram solam decebat esse æternitatem. Tot audi-  
tores ita, quot spectatores conciliavit. Votivum suscepit  
Mater, nempe viros natura donat, sanctos DEUS. Natum  
virgini Matri sacraavit pia Genitrix, ut cæli moribus illico af-  
fuesceret. Novam stirpem, trabeatam sinè trabea, in steri-  
litate sæcundam, roseam sinè sanguine, purpureus Martyr ob-  
scuros natales meridiei auroravit; lacernæ purpuram, inopiæ  
opes posthabuit. Plus pauperie quàm gazis sæneratus.

Apol.  
Apol. 1.

Vix lustralibus irrigatus aquis in lilium effloruit puritatis;

Hirci hinc procul hirci,

Nulli illum juvenes, nullæ tetigere puellæ.

Ovidius  
Liber 5.  
Metam.

Innocentiæ lacte ad pinguedinem factus, divinô prius  
spiritu cepit vivere, quàm suô; parum naturæ debuit, imò ni-  
hil, virtuti plurimum, & omnia; lacteum morum candore  
ita servavit illibatam, ut nunquam denigraverit. Natus  
jam nactus est sanctitatem, dubium fecit: An cælo prius:  
quàm terræ caperit vivere. Ætate immaturus, virtute ma-  
turus fructiferum autumnum ante ætatis ver cælitibus dedit.  
Naturæ avaritiam in ipso correxerat liberalior gratia. Solitu-  
dinem frequentavit vel in media domus frequentia, ut cæ-  
litus jucundiores se se in amplexus insinuaret, diviniæque col-  
loquia etiam ad divisionem Spiritus pertingentia misceret;  
nunquam minùs solus visus est quàm cum solus: ad collo-  
quia cælitum allicit terrena solitudo; hæc sua cum cælo amo-  
ris

B 2

ris fœdera Inter preces puellus eloquens balbutiebat. Supplex pietas, quamvis balbutiat, eloquens tamen est, sodales alacritate alliciens, modestiâ componens, ad virtutis Magisteria accersēbat. Et nē templa deessent, multiplici sacrabat arā domum, ut licet sinē charactere non tamen sinē charitate Sacerdos, supremo Numini puerilia ludicra mactaret. Næque sacratori Demostheni balbuties moveret inertiam, ad Bernardinas convolat cisternas, ut à Melifluo Doctore novus Ambrosius, ad laticum crystalla innocentes preces depuraret. Domesticus in templo, inter ædes paternas peregrinus; certē quoties ad aram Eucharisticum Numen litaret Sacerdos, ipse mysta sinē missa pietatis succendit holocausta, & quoties angelicō munere Angelus sinē carne responsabat celebranti minister, toties cœlesti methodō pro terra cœlo perorabat; grandior meritis quàm ætate, eō attigit, ut etiam provolutus ad infima, ad Altissimum verbā faceret, novoque fandi copię portentō vinceret invincibilem, & ligaret Omnipotentem.

Sed imbuere jam feliciter in viridi ætate laureatis sapientiæ viroribus Orator Silentiarie Dive JOANNES! gramma didicisti? nullus te meliūs Martyre silentiō Sermonem declinabit. Afflue verborum copiā de sacris exedris manaturā ô! Sacer pusio! sed laudabiliter modum indicativum ignorabis. Assuesce castalijs pœtarum fontibus innocens Apollo! heroicis tuis pedibus restat Moldavicus helicon taciturnas oris Camænas impleturus. Oratoriam auspicare facultatem, sed silentiō detonabis in vitia, virtutis encomiastes, encomium virtutis; historiarum pervolve volumina Tacitō virtuosior Tacite; eyades tua nihil dicendi historiā in flumine Puteanus. Insuda peripato Aristoteles, feliciore occumbes Eurippo, inter Philosophica argumentorum tonitrus Porphyriana arbor laurum inseret Magistro.

Balbinus  
in vita.

Puteanus  
bistor.  
de Bello  
Belg.

Pro.

Provehere ergo laureata Philosophorum gloria Dive JOANNES! & sive te disceptantem in Athenæo septicolis Czechia stupeat Roma, sive Theologiæ Canonumque sanctior doctrina purpurato doctore insternat Epomidem; suam etiam Moldava exporriget Pathmum, quò relegatus silentiario recondas corde, quæ homini non licet eloqui: exfuges JOANNE major JOANNES ampliore dilectionis privilegiō mysteria; ille de semel prolocuto Altissimi Verbo, tu taciturnitate perpetuā oracula tacitus profundis, In hoc Angelico Doctore novō accensendus magisteriō, dispari tamen, non impari elogiō, quòd ille taceret prius, quàm sapientiam loqueretur cathedris, tu etiam cūm sileres perorares. Quamquam quid erravi? primas tenuit in omnibus, nullum tamen in postremis habere voluit. Ingens visus alienis oculis, suis parvus; nec scire se voluit quidquam scire, dum omnia scivisset. Jam verò scientiā plenus, ut aliorum gubernaret conscientias, propriam obtulit Cynosuram, utque tutius alijs prædicaret eloquens, sibimet ipsi mutō sermone concionabatur, ad alios accessurus, prius in se ipsum recessit, pæne extra hominem ivit, qui à semetipso alienus interdictā perpetuā passionibus actione *Totus vix non hominem, duriori mortificationum dexterā exutus, solum Spiritum induisse videbatur*; ibi nempe ad cœlestem sapientiam erudiuntur Theophili, ubi Clausō ostiō amoris discipuli dilectum cordi suavius se se insinuantem auscultant. A sæculis abscondium mysterium verbi hypostasim juniora sæcula edocuit; quem corpore peperit, ille partheniā concepit mente, & cui virgineā membranā colligavit membra in fascias Virgo Mater, illi JOANNES corpus, innocentem animam, quoties ad Eucharisticam mensam accessit, mundissimi instar corporalis adferebat. Plenus Numine, sterilitate carnis conceptā in voto, genitum quondam sinē Patre, hic sinē Matre producere parabat; tunc sanē non

Seneca  
Episto. 7.

B 3

semel

semel, sed quotidianâ Sacramenti percceptione Verbum incarnabatur, Hoc fortè suberat discrimen, quod olim peccatricem, tum verò refectò sacramentaliter NEPOMUCENO pæne Angelicam assumpsisset naturam. At nè denuò stabularia hospitia Divinum terrerent Pusionem, paradoxâ eloquentiâ, stabula in palatia, jumenta in homines, homines in Angelos, Angelos si non deos, minùs saltem, effecit Deiformes: In Basilicam Teynensem urgetur Præco, agnum indicaturus, cujus ipse vellus aureò morum candore effigavit. Hæc demum, laconicè loquor, JOANNEÆ virtutis prætexta: camelorum pills, Agninam substituisse mansuetudinem.

Enimverò quemadmodum munus & onus prædicationis Apostolicum illi non defuit, ita nec ille muneri, non succubuit oneri. *Predicabat Verbum? instabat oportune importune, Arguebat? obsecrabat in omni patientia & doctrina;* dictis effica iuspressurus animos, moribus expressitfacta; tam promptus manu, quàm pronus lingvâ, facundus verbis, fæcundus exemplis, priùs ipse percæpit, quod præcepit alijs.

*Nec sic inflectere sensus*

*Claudia-nus. Humanos edicta valent, quàm vita regentis.*

Quot them ata adoratus, tot thaumata in se virtutis ostendit. Evulgabat omnibus zelosissimè ea, quæ priùs tacitè loquebatur sibi, sui Auditor antequam auditores habuisset. Utque verborum iconismus efficacius sinè sono audiretur; Seraphici exemplò, ipse Seraphim, vitæ sanctimoniâ verba fecit, disertius quàm linguâ locutus.

*Carmina major imago*

*Sunt mea quæ mando.*

Rediisse credebatur Mercurij comitatu in terras Rhetorica; Herculem gallicanum è fabula novâ metempsychosi migrâsse

se in historiam stupebant fasti, quando NEPOMUCENUS aureis eloquentiæ catenulis ipse Os aureum hominum animas vinciebat probitati: Ità JOANNES traxit motivâ verborum fortitudine, ut differtissimorum oratorum vocalem famam *Conradi ab Austria, Joannis Militij* non modò obscurârit, quàm extinxerit penitus. Papæ! quæ non miracula miranti naturæ impressit! efferatos scelestorum animos cicuravit, lascivam Cosmophilorum libidinem frænavit, bestias, monstra Christianitatis in novam Christo creaturam concepit, genuitque per Evangelium. Babylonis prostibula animarum, Sponso desponsavit virgines, tumida superbissimorum pavonum capita ad pedes depressit humilitatis; ventris ingluviem, fabellicos Epicuri greges temperantiæ legibus attemperavit; confregit Cupidini arcum, & Veneri lenocinans robur emollivit.

*Quantum quis Marte feroci, Ovidius l. 3  
Aut valet, aut acie, tantum valet ille loquendo. Metam.*

Plaudat suo Herculi Metropolis Czechiæ, qui charitatis face, & laboris clavâ vitij hydram in septena capitalium criminum capita semper repullulantem profligavit. Vicerat olim Josue Amorrhæum, sed solis statione ac cæli arridente serenitate. JOANNES triumphat de virtutis hoste etiam inter hesperios stygis vespertiliones. In castris Josue stetit sol, nè staret Amorrhæus, & exhibuit se stationarium militem, ut stativam in castris Amorrhæorum prosterneret fortunam, metam distulit attingere diei, ut palmas demeteret; illustris fuit victoria, quia defixos tenuit cæli oculos, solem, lunam, qui hæserant, vel allecti spectaculò, vel obstupescati virtute. In JOANNE postquam gratia indixit prælium peccatis, cælorum cardines movebantur, cælestesque intelligentiæ stabant attonitæ, Apostoli

2. *Timoth. 4, 2.*

*Claudia-nus.*

*Vita S. Fran- apud Suerium.*

*Ovidius.*



1. Corintb. 4. stoli suffragiò : *Spectaculum factus mundo, Angelis, & homini-*  
bus. Stupuit orbis DEUM olim, tunc etiam rebelles huma-  
narum mentium phalanges voci hominis obedire: quas Jovis  
fulmen, Mercurij flumen deterrebat, demulcebat.

Poëta. *Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.*

Pace tamen tuâ Orator Silentarie, quòd irrumpo; si venia  
Verbo: quæ animorum Amazoni taciturnæ facundiæ tuæ tes-  
fera? quis verba exacuit in jacula, eloquentiæ flumina in ful-  
mina exasperabat? eloquantur rem prodigia! DEUM im-  
mortalem! quot lupis clausisti lupanaria, ut cælo redderes  
ovilia? quæ non subvertebas fana, protrivisti idola, conculca-  
bas dæmonum simulacra unâ profligatâ Venere vel Cupidi-  
ne deportato? quos non fugasti Mammonas damnatâ idolo-  
rum servitute avaritiâ? quæ non tabescentium animorum fa-  
nasti ulcera Galenus etiam regia, quibus una delicata infirmitas  
dominabatur. Expalluit te dicente veritatis stibium, & om-  
nis virtutum larva, pietatis mendacium disparuit. An fal-  
lor AA, OO? si splendorem firmamenti, mundi lumen,  
divinæ particulam auræ, micantes stellas. lunam plenam, so-  
lem refulgentem, in Philosopho Canonistam, in Canonista  
Theologum, in omnibus doctorem, Tullium & Harpocratem  
in NEPOMUCENO suspicio? Ast non ludit isthæc ima-  
go; videlicet, quâ taciturnò ori digitum apponis, illa porten-  
ta evulgat, quasi noviter tacitè perorares. Jam tandem  
capiro mysterium! *Facta dictis sunt potiora. Conquiescat*  
*licet eloquium, habitus sonat: obedientem fecisti audi-*  
*tores? non miror, docenda fecisti. Si anime lingua Teste*  
*Melifluo devotionis est fervor: aliam Triurbi linguam JOAN-*  
*NES loquebatur, quàm plerique solent præcones: de quibus*  
*illud de lusciniâ inscribi dignum; Vox prater hæcque nihil.*

S. Francis.  
Xaver. Epi.  
2. ad S.  
Iona.  
Tertul.  
S. Petrus  
Crysol.  
S. Bern. Ser.  
56. in Can-  
tica.  
Poëta.

Sanè

Sanè quod de Baptista Oliva edixit testimonium, ego de  
JOANNE intelligam vaticinium: *JOANNES non ex eo Con-*  
*cionatorum genere, qui solò vocis boatu vulgus terrent, sed quem Oliva l. 13.*  
*Scriba percontantur & milites, quem Rex libenter audiret; auditur Strom: in*  
*in antris, fugit non è paginis doctrinæ, sed cortice, ferarum di-*  
*scipulus, silentij Auditor, discipulus solitudinis, à silentio didicit de-*  
*clamare.* Ità nempe audiebatur Apollo noster, & suspiciebatur  
ter geminâ in tribus facultatibus redimitus laureâ doctorum om-  
nium objectus non oppositus in exemplar. Imò erravi, omnibus  
omnia factus, universa objurgabat vitia; damnavit exiliò  
Bacchum, ut lasciva in orbe frigeret Venus.  
Apage! inquit, Czechico ex orbe malè sideratum caput! ex-  
este vitia, viti vitia, vino venena sunt affinia, occiduo pu-  
dori parentat Hesperus, ubi mentis solem amphora funeravit.  
Plebem purgavit lolijs, ut lilijs incingeret. Quanquam quid  
iterum erravi! è plebe eliminavit flagitia? aulas invasit: Au-  
gustos etiam taciturnâ aggressus svadâ, ut coronatæ etiam ace-  
diæ in regalibus palatijs vitam & spiritum agerent, vereor,  
nè & animam; adeò etiamnum illud vocis clamantis Orator  
Pythagoricus, vox sinè voce Wenceslainis ingeminavit auri-  
bus Pænitentiaris: *Non licet.* Neclavit æthiopem, postquàm  
ad mentis candorem emundâset conscientias, extinctæ gra-  
tiæ rehumavit cadavera, quæ tartarei vespillones inhumârunt.  
Rigebat arctoò glaciata gelu pietas, exulabat religio, probi-  
tas hibernabat, septicolle limen septiceps scelerum hydra, Je-  
richo non Jerusalem: domiturus hæc monstra JOANNES,  
in Hercule Orpheum, in oratore Tacitum induit; ad petram  
Ecclesiæ saxea etiam corda sub concentum virtutum redu-  
xit. *Ibo à me ipsa aliena, ajebat, Boëmia, Neropolis eram,*  
*sed nunc ibo mea, virtutum Metropolis.*

Hæretis AA: OO: ad miracula? sed gratiæ est privilegium,  
silentiariæ svadæ magisterium non nudò sonò & elingui, at  
vel: *Ibo mea,*  
taci-

Hagek in  
Annal:  
Boëm.

Progr. Bo-  
emia Ana-

pr. Ibo à me

faciturnitatis energiã mores objurgãsse, suppressisse, suffocãsse.

Sed quò me abripit malus error? quis furor exasperat animum? finite AA OO, meam etiam hìc me insanire rabiem, meam iram furere. Tua dente hic Zoili laceffenda virtutum penuria Pythagoræ Ecclesiastes! arduum est in te satyras non scribere, qui Philippicas dixisti. Conqueritur de te Regum nutrix, Heroum Mater, & Asylum Czechiæ Praga, quia populum sermocinativã facundiã decepisti, & sanctò philtro animas copulãsti Christo, ut meritò tibi indignentur universi, quòd cunctos per charitatis funiculos irreciatos liberæ transmitteres captivitati à peccati servitute absolvendo.

*Poeta in  
Flor. Poët.  
Bohe Nero  
pomuze.  
Prog: Nepo-  
mucenus.  
Anag: Nec  
unus opem.*

*Quid non mortalia pectora cogis  
Sacra fames!*

Elemosynarij Regij munus objisti! **NEPOMUCENUS** eras, nec uni opem tulisti, quia cunctis. pollicebaris te nunquam fore personarum acceptorem, & maximus fuisti personarum acceptor; scilicet omnium. Alijs prodesse debebas, & tibi thesaurizãsti. Tam odisti pauperes, ut nec oculis sustineres, quin ditares! ô! te avarum! quas dextrã ferebas opes, sinistræ inopum, fortunæ deferebas. Quanta prodigalitas! Poterant te dicente vincula ire in vincula, & ipsi carceres mitti in carcerem, adeò etiam malos optimos fecisti vel invites. Rursum de te conquerimur, eliminãsti justitiam; Quantus virtutum hostis! te dicente nec necessum dictare leges, & exarare in albo, ubi nullum nigrum reliquisti: Non eget respublica decalogi tabulis, ubi viva lex prædicator, Zelotis mores concionantur. Et talem ac tantum animarum Zelotem Apostolicum Divi Viti Collegium anhelabat, hunc Ecclesiasten suæ Metropolitanæ inserit, cujus monitis etiam

scep-

sceptra procumberent; & diadematum Majestas inclinaret; quemve actionum suarum Directorem, ut virtutis regiam saluberrimè conservaret, præfixit regina.

Sat jam favorum **JOANNES Amaltheum** gratiarum non ultra Profluet; constans fortunæ est inconstantia; malum consilium ad fortunatas perpetuò vela, anchoram jacere, etiam subinde ad male spei promontorium declinandum; hoc tibi coronatum monstrum vivus Crater, regum opprobrium instruit **Wenceslaus**: incendit Regem sacrilega sciendi cupiditas; attentat, quæ scire nolunt Angeli, instat, urget, jam gratias maritat furijs, jam minis auget blanditias, miscet præmia tormentis, vitæ necem intorquet: Jam deniq; carceres, Moldavam, fluctus, jam pontem, jam necem minitatur, ferit, furit, blanditur, & dolet, jam byssum, jam fulmen loquitur. Et verò si **Nicolaum Mirensẽm** cum **Eustachio** proconsule disputantem suspexit **Asia**, **Athanasium** cum **Præfecto Lybia**, **Ambrosium** cum **Theodosio Mediolanum**, **Chrysostomum** cum **Eudoxia Constantinopolis**, **Augustinum** cum **Bonifacio Africa**, **JOANNES** in conspectu purpuræ nec rubuit nec expalluit, ethnicum duxit coram Christianitatis opprobrio non loqui Christianè. Quæ hæc inquit Cæsar tam spuria est orexis? quæ malitia ultrà modum? quæ libido sinè exemplo? **Renum** scrutantis conclavia arietare **Numinis** quæ impudentia? **Cælestis** curiæ fores, secretas cordium latebras invadere **Zelotypus**, quòd ruis inconsultò mentis ardore? **Tantalum** vis **Sacramenti** sed **Agathonem** habebis, **laram** cupis, sed **Zenonem** vides. **Quid** agis **Boème Nero** redivive **Sardanapale**? **Nondum** satis temulentia, furore, luxuriã scelerum cloacã vel thronum deturpãsti, vel animam infecisti; erubescit murex ad novam tyrannidis insolentiam, & fæda expallefcit conscientia. **Apagesis!** **Rex** maleferiate! in **Tiberio** biberium, in **Claudio** caldium, in **Nerone** Meronem, in **Xenarche** Rhodio

*Ravis P. Ta-  
citurmitas.*

*Similia V. apud Ravis: Natal. Comit.* dio Metretem, in te ipso omnes, in Wenceslao novum scelus pigritiam animabis. Damnabat Curij Aleam, Apicij guttam, Gallonij sumptum, & Antonij ebrietatem Tertullianus, ego vitiorum universitatem in te incesso. Sordet adhuc fædis sordibus baptismale lavacrum, tuam rabiem loquuntur compita, palatium inmane facinus execrat; quid? hesternum scelus necdum evaporavit: fumantem testor: culinam! quæ destinatum bestijs veru humanò rubet sanguine, & assus ad focum coquus cum Levita tuam Diomedes Czechice crudelitatem insectatur. Humanas carnes, horresco nefas! regijs dapibus compater carnifex intermiscet. Baltassari asportatis scelestò ausu Jerosolymorum vasis, verbale trifagion, trifulcum erat; Et tibi, heus circumspice! adhuc fixus pro dape dapi-nator, ipsa tui tibi minatur umbra, nec tamen expergisceris? Jure efflagitas regiò, quod natura, DEUS ipse prohibet. Non colliduntur genua, non femur emarcat? facies, non color immutatur? parce verborum stimulis, non pandet JOANNES quod celari cælum jubet. Wissehradenses insulæ, Litomissliense pedum, non honor, non furor, impositam ori custodiam tyrannus expugnabit. Aquam à pumice, vocem à pisce mendicas Rex, modulari possunt pisces & murmurare fontium susurri, aves in fabulis discurrere. Fertur pulsò è regno Tarquiniò canem, Lepido gallum gallinaceum locutos, & *Ravis 1055.* serpentem latrâsse. Balaamum affatur asina; non garrit An-gerona, nec Harpocrates perorat. Quid ad hæc purpuratum pigritiæ simulacrum, amphora trabeata Wenceslaus? horrendâ catastrophe abit in furorem, totus vertitur in Megæram: fe-râ rabie intumescit pectus, dilatatis spumat labijs, compressis stridet dentibus, & violentò impetu deartuata trementiâque præcipitat verba, quæ non priùs furor in gutture præfocavit; sanguinolentis scintiliat oculis, ardet genis, trucibus fron-tem minis exasperat, luctatur, sibique ipsi reluctatur. Vo-lan

lant undique tumultuosâ verborum tempestate excussa indignationum fulmina, & confragosò fremitu in JOANNÆAS aures delabuntur. Quid hæc tempestas nisi procellas & gran-dines præfagiat, & vel fulmina & flumina procudat? Concla-matum est, effare quæ audisti Confessarius, aut *aquam bibes!* in hac denique ty rannidis Orchestra

*Præsen tem intentant omnia mortem. Virgili, l. 1.*

At justum & te necem propositi virum non ardor prava *Æneidos.* jubentium, nec vultus instantis tyranni mente quatit solidâ, im-pavidum feriunt ruinæ si fractus illabatur orbis. Cælo qui-dem poterat Peripateticus esse, at Cæsari se exhibuit Pytha-goram Orator Silentarius. *Horatius.*

Quid si tamen lenocinante firenum robore vulpinò exu-viò satelles eliciat, ubi leonina succumbit rabies? objiciuntur comptis reg alium favoniorum illicijs unò cornucopiæ effun-dendæ beneficiorum gazæ, pinguis Christi panis, reges etiam delicians, numeranda aurò temporum momenta, notandæ Augustali clementiâ horæ, Erythrao innataturi soles: Infula-tam Majestatem Ecclesiæ subsellium suspiciet, fama nomen de castro ad Wissehradense Capitulum, Litomissliense pedum deferet, & Cæsaris Camillum evulgabit buccinatrix.

Pro incomparabilis eloquentiæ prodigio Homero septenæ Græciæ urbes

*Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.*

*Flores. Poët.*

Litigabant, at ut unam JOANNIS gratiam ambient, Zelotypiâ corripientur insulæ, in factiones peda scindentur. Quid hæres NEPOMUCENE Regis delictum, populorum amor, amorum cor, cordium pupilla? Taces? quantum elo-quentiæ debes! quod unanimimi Pragensium ore celebraris præ-

Prædicator, tantum gloriosum nomen mutâ ignaviâ obscurabis  
 Majestas eloqui jubet, nè mutit, nè hincit præco: vah Orator!  
 moraris? ad violatas Præfulum trabeas nemo violâ, nemo  
 testudo est; præceps ad sublimia ambitus, volubilis fortu-  
 næ rota Cunctatores aut Lentulos non admittit, ad cæcum istud  
 numen cæcò plerumque festinatur impetu. Magnatum nè  
 damna favores, serio pænitebis at serò; summa rerum momenta  
 hic versantur in momentis, de verbo agendum, quid facilius? de  
 momento, quid fluxius? & regiam famem satiasti.

Sed en ad Appiam honoris viam stat in elinguem petram in-  
 durata Silentiarj suada, solò adhuc illibati vultus facunda rubo-  
 re, simul impudentis tyranni responsa audire erubescit, simul  
 silentiosâ oris verecundiâ verba intercipit peroranti Wenceslao.  
 Paret tandem nè rebellem credamus, jam loquitur JOANNES:  
 itanè verò pollutâ dexterâ claves Ecclesiæ adulterandæ? sigil-  
 lum quod DEUS appressit violandum? stylus curiæ jubet cælo  
 Veronensis sim, regi Placentinus, ajo: Audin Cæsar! Non  
 licet: Obmutesco, dixi. laconismo Rex agitur in rabiem,  
 eheu! actum est de te! adesse jubet validissimum cyclo-  
 pum satellitium, attollitur carnificum lacertis JOANNES, mergi-  
 tur, cadit, fluctuat, jam exanimis jacet Czechico tumultus  
 Eurippo. Erigitur attonitus Moldava in fluctus, profundo  
 transcriptum, alto remittit olympo; ita videlicet Oratoris fan-  
 di copiam castigare debebant limphæ, nè taciturnitatis Sa-  
 cramentum violentæ extorquerent. Resonat in Christiana-  
 rum universitatum Athenæis muti Bovis præconium, & lilia-  
 tus Nicetæ pudor, quò impudentem mulierculam ejectâ in  
 frontem linguâ ad ruborem purpuravit, prædicatur; evulgant  
 robore eorum historiæ, qui nè secretum Tyranno panderent,  
 linguam præmorderunt: sacratoris mutij vocale silentium  
 declamabunt exedra, silentiarium Christi Oratorem vocales  
 pennæ decantabunt, ille frænato linguæ lubricò novus sine san-

sanguine Martyr non loquendo sed moriendo Confessus Innocen- *Eccles. in*  
 tium historiam restauravit, nève offenderet verbò, pro Agatho. *Orat. de SS.*  
 nis lapide bibit aquam. Pœnitentiarium Martyrem ad Basili- *Innoc.*  
 cam Martyrum, quos de pœnitentia vocant, enatanem exci- *Ravissus*  
 piunt, reddunt Ecclesiæ Ecclesiasten, Canonix Canonicum. *Voc: Tacit-*  
 Gaude felix Bohemia! unò posthac Regni indigete plus, quòd *turni.*  
 famæ periclitantis advocatum, scelerum tuorum Tacitum,  
 perpetuum apud Patrem habitura sis Oratorem. Utique talem  
 efflagitat Divi Viti Gallicinium, ut cujus castro decer-  
 nitur vitæ & necis arbitrium, etiam tutelare vitæ, &  
 necis moralis, famæ ac verecundiæ, respiret præsidium.

Ast parcite præpostero dictionis argumento; clausit epilogò  
 orationem Silentiarj Rhetor, adhuc pro sacro pignore per-  
 orat Moldava. Audieram æthnæ in monte impunita cum  
 nivibus incendia colludere; fidem adhibuit fabuloso colli  
 Martyris libitina, quæ cælo detractas mundi faces immer-  
 gens Moldavæ suos fecit buccinatores. Quid aliud stellæ illæ  
 è crystallino renitentes sarcophago quàm Silentiarj, Oratoris  
 præcones, linguæ cæli gloriam enarrantis at elingves? Nõne  
 illa benefica miracula quibus indies magis ac magis clarescit,  
 taciti sunt Rhetores? Prædicat Apostolum suum Thamatur-  
 gum attonita Czechia, tali encomiò, quod totâ Eoropâ ce-  
 lebre jam etiam Vaticanum referat, & pisce elingvior Orator  
 hamum exspectat, piscatoris annulò coronandus; in laurum  
 stellæ cœlum concinnavit, *Apostolo, Martyri, Doctori, Confes-*  
*sori, Virgini.* Tot appensa anathemata, tot nomini NE-  
 POMUCENO consecrata altaria, tot cedro ac marmori in-  
 sculpata ectypa, clientum suspiria, impensa beneficia tacita  
 sunt testimonia. In incorrupta Antonij lingua triumphat  
 Padua; in inviolato JOANNIS silentio gloriatur Praga: pro-  
 blema relinquo, utra felicior: an illa in suo piscium Orato-  
 re, an ista in pisce oratorum? potuit una Petri concio tria  
 mil-

millia, Xaverij dextra duodecim centena millia baptizare. Convertit Saracenorum octo millia, restituit vitæ quadraginta defunctos, & viginti quinque millibus judæorum Christum derexit, Peccatorum Marpesias emollivit unus Prædicantis familiæ grande lumen Vincentius Ferrerius centum millium. Et eanente cœlesti fistulâ Norberto in fidei unitatem congregabantur provinciæ, revixit in Sclavonia & Saxonia tabescens religio, & vera pietas reffloruit in vniversa Germania. At quot miracula Czechia Thamaturgus edidit, quas gratiarum centurias cælo detraxit, effari non potest, altum taceretur; tanquam Encomiastis vice peroret silentium, & si vocales velimus, lapides clamabunt. Ità Heroum virtutes loquuntur saxa; ut tacente etiam Liviô Alpes sonent Hannibales.

Lucæ 17. 40.

Cedo elinquibus linguis exedram laudibus tuis impar, Orator silentiarie! Epilogum jubet Orationis grande thema, succrescentia indies muta intelligentiæ portenta nova exordia merentur, majus præconium. Venerabor posthac silentiô tuam eloquentiam, qui indigesto multiloquiô incomptô dictionis argumento tuam taciturnitatem temerarius involavi; si pecco: & anser inter olores strepit Sermo; bene spero, absolves ab infanti crimine magnus *Pœnitentiarius*. Tua est culpa, sine fluxu sanguinis Martyr es, nulla mihi suadæ flumina poterant fluere, nisi te tibi dedissem alienum. Tuus est error quòd in silentiarium incidisti, quò ità te eloquentia venerari oportuit, ut plura prætermisisse magis quam dixisse revertente silentiô fateremur. Imò verò tua felicitas est, quòd tacitus prædicaris: *ut mysteria cum silentio spectantur, ità quædam melius laudantur silentiô, quàm Oratione*. Nempe etiam pusilli pulverum atomi ad serenitatem solis assurgunt, & dum magnitudinem assequi non valent, suspiciunt Majestatem. Tot soles Rhetorum, tot stellas tui admiratione isti, quòd laudari vel modicum posses. Non jam excauro funestò murmure perorantem pro Boëmia Harpocratem, laudavi tacitum eloquium; posthac laudabo patientiam invulnerate Athleta! laudari te passus es ab eo, à quo nec poteras nec debebas: duplici supplicio, & mea obstreperâ linguâ, & tuò silentiô Martyr es. Non pergam porrò esse crudelis, obmutesco.

D I X I.